



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 79. Polus Dilingam veniens, ibidemque Reginæ literas recipiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI., „obedientiam palam profiteri valet ante
A.C. 1553. Senatus comitia: ut ergo summo Pon-
 tifici ritu legitimo obsequium præstare
 posset, consultius erit, si adventum
 tuum tam diu differas, donec Regina
 sit coronata, sacroque oleo uncta: in-
 terea vero eadem se spondet curaturam,
 ne in iurejurando, quod a subditis præ-
 stabitur, quicquam adversus supremam
 Pontificis auctoritatem enuntiaretur,
 minus vero tolerabit, ut ei titulus su-
 premi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ at-
 tribuatur,, Ad hæc literas Polus die
 secunda Octobris Tridenti, ubi adhuc
 morabatur, ipsimet Reginæ respondens
 illam hortabatur, ut seposito occurren-
 tium difficultatum metu totam suam fi-
 duciam in Deo reponeret, qui eam
 hucusque luculentis adeo signis pro-
 texit, semperque illam in regni folio fir-
 maturus est, quamdiu Christi Domini
 Vicarium colere, ejusque auctoritatem
 restituere adlaboraverit. Denique ad epi-
 stolæ suæ calcem addidit, quod ob ne-
 gotia sibi a Pontifice demandata Cæsa-
 rem adire pararet.

§. LXXIX.

*Polus Dilingam veniens, ibidemque
 Reginæ literas recipiens.*

*Pallav. c. 8.
 num. 3.*

Itaque Polus Tridento profectus Dillin-
 gam Sueviæ urbem Danubio adja-
 centem,

centem, atque Augustani Cardinalis imperio obnoxiam pervenit, ubi aliquamdiu substiterat, publicæ securitatis literas præstolaturus tam a Wirtembergensi Duce, quam ab aliis Protestantibus Principibus, quorum ditiones absque fidei publicæ sponse tuto pertransire haud posset. Occurrebat eidem in hac urbe Penningus ex Anglia redux, qui ipsi literas a Regina proprio chirographo signatas, ac die septima Octobris datas tradebat, in quibus eadem Polo significabat, quod harum bajulus ipsum de singulis in hac epistola non contentis certiores esset redditurus, interea vero ipse modicis itineribus Bruxellas peteret; cum ibidem tutius illum per Atrebatensem Episcopum de Regni sui statu edoctura esset.

§. LXXX.

Polus per Reginae literas iter suum differre rogatus.

Cum interea Dandinus a legatione sua revocatus Romam rediret, per viam Polo occurrens eidem significabat, quod ejus in Angliam legatio Cæsari minus grata videretur, eo quod ejus consiliis adversa esset, ac propterea is jamjam quibusdam indiciis suam manifestasset indignationem: insuper id ipsum a Floribello coram Polo fuisse confirmatum

Hist. Eccles. Tom. XII.

T t fer-

Sæc. XVI.
A.C. 1553.